

« Sed quid si regularis, hujusmodi delicti reus, nullo ex his fungatur officio? liber exit ne ab omni pœna? certum est in hoc casu non posse dari locum executioni præfate suspensionis, quæ est ferendæ sententiæ, cum agatur de subjecto incapaci propter carentiam officii ut supponitur. Verum ne dicamus Innocentium voluisse ut impunitus remaneret, puniendum esse pœna arbitraria leviori vel graviore juxta minorem vel majorem culpæ et præsumptionis qualitatem, ut idem Innocentius hic puniri præcepit, » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, lib. I, sect. 675.)

« Ipsi vero contrahentibus, quia Ecclesiæ mandatum in re sane gravi contemnunt, condignam pœnitentiam injungendam in eod. cit. § finali statuitur. Testibus tamen qui ejusmodi matrimoniis assistunt nulla pœna neque a concilio Lateranensi neque a Tridentino reperitur imposita; et nihilominus pleræque diœcesanæ synodi etiam in illos duxerunt animadvertendum pœna excommunicationis latæ sententiæ. Quamvis porro Soto in IV, dist. XXVIII, quæst. I, art. 2, § *Quo igitur*, absolum visum sit a particulari synodo illam in prædictos testes irrogari pœnam, a quo infligenda concilia generalia abstinerunt, ac proinde præfatas constitutiones irritas existimaverit; rectius tamen earum validitatem propugnat Sanchez, *De matrim.*, lib. III, disp. XLVI, n. 8. Etenim cum testes præfati assistentiam præstent matrimonio ab Ecclesia interdicto, graviter profecto in Ecclesiæ leges delinquant; quapropter synodales constitutiones, eorum culpam debita coercentes pœna, nihil agunt contra canones, sed canones ipsos tuentur ac fovent, sicuti animadvertit Fagnan. in cap. *Sicut olim*, n. 78, *De accusat.*, ubi loquens de synodo provinciali quæ, in re quam in præsens versamus, non plus auctoritatem habet quam diœcesana, ait: « Non tamen horum potestas adeo restringitur » quin multa statuere possint circa ea quæ totam » provinciam concernunt, præter jus commune... » suisque decretis jus commune adjuvare, addendo » novas pœnas vel antiquas augendo. » (Benedictus XIV, *De Syn. diœc.*, lib. XII, cap. vi, n. 2.)

Idem tamen Pontifex, loc. cit. cap. v, n. 4, animadvertit quod statuere quidem potest pœnam excommunicationis ipso facto incurrendæ, non tamen adjecta declaratione ut statim evitandi sint, licet non fuerint publicæ et nominatim denunciati.

Possunt etiam contrahentes, omissis denuntiationibus, puniri pœna pecuniaria, piis locis applicanda, ut declaravit Congr. conc. in *Florentina*, 17 febr. 1629, lib. *Decretor.* XVII, pag. 35. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. II, sect. 414.)

ADNOTATIO LXXIV.

Lib. IV. Decretal. Tit. III, § III, n. 139; pag. 422.

DE MATRIMONIIS ABSENTE PAROCHO INITIS TEMPORE PERTURBATIONIS GALLICÆ.

In epistola ad episcopum Lucionensem, die 28 maii 1793 directa, nomine congregationis cardina-

lium selectæ, cardinalis F. X. de Zelada sic loquitur: « 3. Curare fideles debere contrahere matrimonium coram testibus, et quidem quoad fieri possit catholicis, priusquam municipalitati se præsentent sistant ut præscriptam a nationali conventu declarationem faciant. Et quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino parochum legitimum habere, istorum profecto conjugia contracta coram testibus et sine parochi præsentia, si nihil aliud obstat, et valida et licita erunt, ut sæpe sæpius declaratum fuit a S. C. conc. Trid. interprete. » (*Coll. brev. atque instruct. SS. D. N. Pii PP. VI quæ ad præf. Eccl. cath. in Gallia et aliis a Gallis occupat. regionibus calamitates pertinent; juxta exemplar impr. Romæ typ. R. C. A. 1800.*)

ADNOTATIO LXXV.

Lib. III. Decretal. Tit. III, § III, n. 151; pag. 424.

DE MATRIMONIO IN FRAUDEM CONTRACTO IN LOCO UBI CONCILIIUM TRIDENT. NON EST PROMULGATUM.

« Nullum est matrimonium, si contractum fuerit sine parochi et testibus a transeuntibus per locum in quo Tridentinum in puncto matrimonii non est promulgatum, vel ad illum a se transferentibus solo animo contrahendi sine parochi et testibus, non mutato domicilio, ex declaratione Congr. Conc. 5 sept. 1626, confirmata ab Urbano VIII, in brevi edito 14 aug. 1627, et a Benedicto XIV const. *Cum venerabilis*, 19 martii 1758. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 740, appendice I, n. XIV, not. 2.)

Cf. auctorem loc. cit., § III, n. 123.

ADNOTATIO LXXVI.

Lib. IV. Decretal. Tit. IV, De sponsa duorum, n. 4; pag. 424.

DE PÆNIS INFLICTIS CONTRAHENTIBUS SECUNDUM MATRIMONIUM, DURANTE PRIMO.

« Contrahens secundum matrimonium, constante primo, denunciandus est S. Inquisitioni tanquam suspectus de heresi, et ex constit. Urbani VIII, *Magnum*, 20 jun. 1637, si falsis attestationibus deceptor curiam ecclesiasticam ad obtinendam licentiam contrahendi novum matrimonium, adhuc prima uxore vivente, ultra pœnas quibus hujusmodi polygamii puniri solent, damnandus est ad triremes in perpetuum. Quod si inhabilis sit, publice est fastigandus, ad perpetuosque carceres damnandus. Ulterius tradendus est curiæ sæculari arbitrio S. C. Univ. Inquisit. si pro qualitate et gravitate delicti graviores mereatur pœnas. Hanc autem constitutionem non fuisse usu receptam, saltem quoad traditionem curiæ sæculari, sentit Benedictus XIV, *De Syn. diœc.*, lib. IX, cap. vi, n. 8. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 677.)

ADNOTATIO LXXVII.

Lib. IV. Decretal. Tit. IV, n. 19; pag. 428.

AN IMPEDIMENTUM EX SPONSALIBUS METU INITIS ORIATUR?

Vide Adnotationem LXXVII hujusce voluminis, supra.

ADNOTATIO LXXVIII.

Lib. IV. Decretal. Tit. VI, Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt, n. 16; pag. 442.

DE SACERDOTIBUS QUI TEMPORE PERTURBATIONIS GALLICÆ MATRIMONIUM ATTENTARUNT.

In litteris apostolicis *Ecclesia Christi*, datis die decimo octavo ante kalendas septembris 1801, sic loquitur san. mem. Pius PP. VII: « Nolumus etiam paternæ nostræ charitatis non esse participes eos ecclesiasticos viros qui, in sacris constituti, matrimonia attentarunt, sive qui a proprio instituto publice desciverunt; ideoque eorum respectu, ipsius etiam regiminis officiis obsecundantes, vestigia sequemur rec. mem. prædecessoris nostri Julii III, quemadmodum in nostris litteris in forma brevis hac eadem die datis pro eorum spirituali salute providetur. »

Breve datum sub die decimo octavo ante kalendas 1801, in gratiam sacerdotum, qui misere in sinistram viam declinaverant, nullibi legere potuimus, nec in bullario magno, nec in collectionibus specialibus quæ anno 1802 et sequentibus evulgatæ sunt sive Parisiis sive Romæ. Quidquid sit, certum est indulta sæcularisationis fuisse concessa pluribus sacerdotibus, etiam regularibus, cum dispensationibus necessariis et opportunis ut matrimonia ab iis attentata, forma concilii Tridentini rite adhibita, convalidarentur.

ADNOTATIO LXXIX.

Lib. IV. Decretal. Tit. VI, n. 19; pag. 442.

DE PÆNIS INCURSIS AB EIS QUI IN SACRIS CONSTITUTI MATRIMONIUM CONTRAHUNT.

« A Clemente V festus excommunicatio ipso facto incurrendæ tam a matrimonium, duntaxat etiam ratum, scienter contrahentibus cum moniali, quam ab hac, atque a religiosis professis et clericis constitutis in sacris, præcipiturque ecclesiarum prælatis ut hos omnes, quos sibi constiterit sic contraxisse, excommunicatos publice nuntient vel nuntiare faciant, donec separentur et absolutionem meruerint obtinere. Accessit insuper praxis tribunalis S. Inquisitionis a quo hujusmodi rei, præter suspensionem et irregularitatem quam res-

pective incurrunt ex Alexandri decretali *De diacono*, cap. 1 huj. tit. puniuntur tanquam suspecti de hæresi, vel de vehementi vel de levi, juxta facti circumstantias, ita ut hodie, etiam post peractam pœnitentiam et triennem emendationem, non sit amplius in potestate episcopi, prout permiserat Alexander, eos super irregularitate dispensare. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 686.)

ADNOTATIO LXXX.

Lib. IV. Decretal. Tit. VI, n. 26; pag. 445.

DE MORE VESTIBUS SÆCULARIBUS EXUENDI ET QUIDEM PUBLICE PUELLAM HABITUM MONASTICUM SUSCEPTURAM.

« Nota plurimis in locis morem invaluisse ut puella monasticum habitum susceptura, pretiosis sæcularibus vestibus in publica ecclesia exuta, illum ibidem a superiore, ad id potestatem habente, reciperet. Verum ut tam ejusdem puellæ quam adstantium pudori magis consuleretur, Benedictus XIV districte prohibuit ne amplius in publica ecclesia dictis vestibus exueretur, sed intra septa monasterii, in crate nempe exteriori ecclesiæ, ut ex edicto Eminentiss. Urbis vicarii, ejusdem Pontificis jussu publicato sub die 13 oct. 1753, ut videre est in secretaria tribunalis laudati vicarii.

» Hæc eadem prohibitio est in viridi observantia, nedum Romæ, sed etiam in quampluribus diœcesibus, et inter cæteras Viterbiensi, ex mandato Clementis XIII feliciter regnantis ut in epistola sub die 6 sept. 1758 ad illius Eminentiss. episcopum per organum secretariæ Status transmissa, cum expressa declaratione ut idem omnino servetur in monasteriis omnium monialium, etiam regularibus subjectarum. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 689.)

ADNOTATIO LXXXI.

Lib. IV. Decretal. Tit. VII, De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium, n. 27; pag. 448.

AN SPURII ALENDI SINT A PARENTIBUS?

« Decretalis *Cum haberet*, cap. 5 huj. tit. est singularis, ut hic notat Panormitanus, cum nullibi in toto jure canonico sancitum reperitur quod filii spurii, vel nati ex damnato concubitu, alendi sint a parentibus contra juris civilis rigorem id prohibentis; Authen. *Ex complexu*, C. *De incestis et inutil. nupt.* Quem rigorem ita redarguit Baldus, consil. CCCCLVIII, n. 10, ut recte dixerit « jus » civile tantum amare castitatem ut hac in re » destruxerit pietatem. »

» Controverti solet a doctoribus an in terris im-

perii standum sit dispositioni hujus juris canonici, an potius civilis. Ratio dubitandi in eo sita est quod quando jus canonicum a civili dissidet, utrumque in suo foro servandum est, ad tradita per Panormitanum in cap. 1, *De novi oper. nunt.* n. 7, et in cap. *Ecclesia S. Mariæ, De constit.* n. 14. Communior tamen sententia est in utroque foro, hæc in re, jure canonico standum esse; potissimum si dicti spurii aliunde non habeant unde vivere. Et hæc praxim servatam fuisse a camera imperiali affirmat Gaillus, lib. II, observat. XXXVIII, n. 14. Et quidem valde consonum rationi naturali est ut eos quos parentes genuerunt etiam alant; et sicut ipsis non licet eosdem occidere, ita nec alimenta denegare, cum hæc negare videatur idem esse ac occidere. L. *Necare*, ff. *De liber. agnoscendis*.

» Quæ naturalis æquitas adeo stricta est ut etiam clerici beneficiati teneantur eadem alimenta suis filiis illegitimis præstare, non minus ex bonis patrimonialibus quam ex redditibus ecclesiasticis, quin obnoxii sint censuræ constitutionis S. Pii V, *Quæ ordini ecclesiastico*, 27 januar. 1571, in qua sub pœna nullitatis prohibentur de utrisque bonis quidquam illis testamento relinquere, ut probat Benedictus XIV, *De syn. diœc.* lib. XIII, cap. xxiv, n. 21. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 695.)

ADNOTATIO LXXXII.

*Lib. IV. Decretal. Tit. VIII, De conjugio leproso-
rum, n. 10; pag. 450.*

DE LEPRO ALTERI EX CONJUGIBUS SUPERVENIENTE.

« Quamvis Stephanus III, anno 754, prohibuerit ob lepram supervenientem alteri ex conjugibus debitum reddi, jusseritque eosdem separari, ut ex illius decreto IX relato a Cabassutio, *Jur. can. theor. et praxis*, lib. III, cap. xxviii, n. 10, hodie tamen abrogatum est a decretalibus in quibus Alexander III declarat, nedum conjuges esse separandos, sed teneri ad invicem petenti debitum conjugale reddere, atque ad id etiam vinculo excommunicationis renuentem adstringi posse.

» Verum, hac declaratione non obstante, notat hic Wagnerek « hoc procedere, nisi debiti redditio » cedat in notabile reddentis detrimentum, puta, » si medicorum judicio inde grave infectionis periculum immineret conjugii sano, ut ex communi » docet Sanchez, lib. IX, dist. xxiv, n. 17, quod » n. 18 recte extendit ad quemcumque morbum » contagiosum. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 698.)

ADNOTATIO LXXXIII.

*Lib. IV. Decretal. Tit. IX, De conjugio servorum,
n. 4, pag. 450.*

DE LIBERO CONTRAHENTE CUM SERVILI CUJUS
STATUS IGNORATUR.

Giraldus optime animadvertit quod si liber con-
traheret cum muliere cujus servilis conditionis

statum ignoraret (qui casus hodie certe non da-
retur), non inde sequeretur matrimonium esse
nullum ratione dictæ servilis conditionis, sed ra-
tione erroris duntaxat cui, licet non redundanti in
personam, juxta communiorem tamen et probabi-
liorem canonistarum et theologorum opinionem,
hæc vis illud dirimendi jure mere positivo com-
petit, tanquam reliquia legum romanarum et anti-
quorum canonum servorum conjugia ægre admit-
tentium. (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 700.)

ADNOTATIO LXXXIV.

*Lib. IV. Decretal. Tit. XI, De cognatione spiritali,
n. 20; pag. 456.*

SI PLURES INFANTEM SUSCEPERINT DE FONTE,
CONTRAHANTNE COGNATIONEM?

« Controvertitur a doctoribus an si, ex negli-
gentium parentum vel parochi, nullus fuerit desi-
gnatus inter plures qui reipsa infantem de fonte
susceperint, hi cognationem contrahant. Sed Pas-
sarinus cum Navarro et aliis affirmativæ sententiæ
adhæret. « Illi enim, ait, sunt vere susceptores,
» licet non fuerint designati; unde in hoc casu jus
» antiquum non est correctum. Neque enim con-
» cilium Trid. statuit designationem tanquam for-
» mam qua deficiente factum sit irritum; » et ita
etiam declaratum est a Congregat. conc. in *Cremonensi*. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 712, nota IV.)

ADNOTATIO LXXXV.

Lib. IV. Decretal. Tit. XI, n. 26; pag. 457.

UT COGNATIO CONTRAHATUR NON SUFFICIT QUOD PA-
TRINI BAPTIZATUM TANGANT CUM DIGITO.

« Ad contrahendam hanc cognationem non suf-
ficit quod patrini baptizatum etiam adultum tan-
gant cum solo digito, « quia, ita prosequitur Pas-
» sarinus, ex auctoritate S. Thomæ, Sanchez, Bar-
» bosa et aliorum, hæc cæremonia non est inducta
» ad sustentandum corporaliter baptizatum, sed ad
» significandam imbecillitatem spiritualem, et ve-
» luti in fide debilitatem, ob quam indiget adhuc
» sustentari. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 712, nota V.)

ADNOTATIO LXXXVI.

Lib. IV. Decretal. Tit. XI, n. 32; pag. 458.

AN PARENS LEVANS PROPRIAM PROLEM DE SACRO
FONTE COGNATIONEM CONTRAHAT?

« Cum in decretali *Si vir*, cap. 2 huj. tit. sta-
tuerit Pontifex conjuges non esse ab invicem sepa-

randos (intellige quoad thorum) si alter eorum,
sive ex malitia, sive ex ignorantia, levaverit de
sacro fonte proprium filium, ideoque teneri alte-
rum alteri debitum reddere, non levis controversia
inter SS. canonum interpretes orta est an, sicuti
licite debitum reddere possunt, ita et petere, cum
nihil clare ex hac eadem decretali circa petiti-
onem colligatur.

» Verum in praxi prævaluit opinio ubique re-
cepta quod, si alter sine necessitate propriam pro-
lem vel levaverit de sacro fonte, vel etiam bap-
tizaverit, hunc cognationem contrahere cum altero,
quæ conjugii usum impediret, saltem donec ordi-
narius dispensasset; secus vero si necessitate id
faceret juxta can. 7 *Ad limina*, caus. XXX,
quæst. I, in quo redarguitur episcopus Lemovi-
censis qui, in hoc casu, conjugium separandum
censuit, quasi proinde contracta fuisset hujusmodi
cognatio debiti petitionem impediens.

» Hoc tamen non procedere de patre aut matre,
levante de sacro fonte aut ex necessitate baptizante
propriam prolem fornicarie susceptam probat Fa-
gnan. ad hoc idem cap. *Si vir*, et consequenter
inter se matrimonium valide contrahere non pos-
sent. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I,
sect. 703.)

ADNOTATIO LXXXVII.

Lib. IV. Decretal. Tit. XI, n. 32; pag. 458.

AN DETUR QUÆDAM COGNATIO SPIRITUALIS CONFES-
SARIUM INTER ET PŒNITENTEM?

« Licet Bonifacius VIII in decretali *Quamvis*,
cap. 3 huj. tit. declaraverit, excepto baptismo et
confirmatione, non oriri cognationem spiritualem ex
collatione aliorum sacramentorum, non vulgaris
tamen orta est quæstio inter doctores an ex colla-
tione sacramenti Pœnitentiæ exurgat quædam spiri-
tualis cognatio inter confessarium et pœnitentem.
Pro affirmativa et negativa hæc notat Passarinus :
« Sed nihilominus ex sacramento Pœnitentiæ oriri
» quamdam cognationem spiritualem tenet hic
» Glossa, D. Thomas, p. 4, quæst. XLII, art. II,
» ad 8, et alii. Probatur ex cap. *Omnes*, cap. *Si
» quis sacerdos*, cap. *Non debet episcopus*, causa
» XXX, quæst. I, ubi Symmachus et Cælestinus
» Pontifices specialiter prohibent ne confessarii
» fornicentur cum filia spirituali. Quod conve-
» nienter introductum fuit et propter reverentiam
» sacramenti, et ne familiaritas, quæ contrahitur
» in hoc sacramento, in quo pœnitens aperti
» cor suum confessario, sit occasio peccandi; et
» ideo peccatum fornicationis confessarii cum filia
» spirituali est sacrilegium; Soto, IV, dist. XLII,
» quæst. I, art. 2. Et ideo hoc peccatum importat
» circumstantiam aperiendam in confessione, ut
» tradunt, præter doctores citatos, Sanchez, lib.
» VII, disp. LV, n. 3, et alii; quidquid in contra-

» rium dixerint Bonac. quæst. III, *De matrim.* p.
» 16, Diana et alii quos refert et sequitur Leander,
» T. I, tract. V, disp. VIII, § 3, quæst. LI, asse-
» rens hanc circumstantiam esse aggravantem, non
» vero mutantem speciem. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 712.)

ADNOTATIO LXXXVIII.

*Lib. IV. Decretal. Tit. XII, De cognatione legali,
n. 10; pag. 459.*

UNDE ORIATUR IMPEDIMENTUM COGNATIONIS
LEGALIS?

« Cum autem adoptio regulanda sit juxta leges
civiles, a quibus Nicolai I responsum, cap. un. *Si
qua*, hoc tit. desumptum est, hinc exprimat
Pontifex duntaxat contrahi non posse matrimo-
nium inter filium naturalem adoptantis et filiam
adoptatam, ne quis inde putet inter solos hujus-
modi impedimentum insurgere, pro praxi et re-
gula, a parochis potissimum hac in re observanda,
operæ pretium duxi exponere inter quos alios in-
super juxta dictas leges oriatur.

» I. Igitur oritur inter adoptantem et adopta-
tum ejusque posteros usque ad quartum gradum;
quod quidem durat etiam soluta adoptione, can.
Diligere, caus. XXX, quæst. 3. Cum semper vigeat
quædam pudoris et publicæ honestatis ratio, juxta
textum expressum in l. *Adoptivus* XIV, ff. *De ritu
nupt.* ibi : « Adoptivus filius si emancipetur, eam
» quæ patris adoptivi uxor est ducere non potest,
» quia novercæ locum habet. »

» II. Inter uxorem adoptantis et adoptatum, et
inter hujus uxorem et adoptantem, et hoc pariter
durat post solutam adoptionem, l. *Adoptivus*, D.
De ritu nupt.

» III. Inter filios legitimos et naturales in po-
testate adoptantis existentes (non autem naturales
tantum) et adoptatam seu adoptatas, aut filias
adoptantis et adoptatum seu adoptatos : quod tam-
men desinit cessante adoptione, id est quando filii
aut filiæ adoptantis exierint ab ejus potestate per
illius mortem vel per emancipationem, l. finali D.
De adopt. de quo impedimento loquitur Nicolai
decretalis.

» Nota I. Duos esse adoptionis species, etc.

» Nota II. Hodie apud plures videtur receptior
sententia quæ docet oriri impedimentum cognatio-
nis legalis tam ex perfecta quam ex imperfecta
adoptione...

» Nota III. Ex juribus mox allatis filium adop-
tantis posse, durante etiam adoptione, matrimo-
nium contrahere cum filia adoptati, sicut et filiam
adoptantis cum filio adoptati, cum id nullo jure
prohibeatur; quæ etiam ratione addit Cabassutius,
Jur. can. theor. et prax. lib. III, cap. xxii, n. 13 :
« Plures ab uno eodemque adoptati possunt inter
» se matrimonio jungi. »

» Nota IV. Cum Sanchez, lib. VII, dist. LXIV, n. 19, quod cognatio legalis, matrimonio superveniens, debiti petitionem minime impediatur, cum nullus textus ad hoc invenitur, et odiosa non debeant extendi. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 713.)

ADNOTATIO LXXXIX.

Lib. IV. Decretal. Tit. XIV, De consanguinitate et affinitate, n. 65; pag. 475.

DE AFFINITATE ORTA EX MATRIMONIO CONSUMMATO SED Nullo.

« Si queras an etiam affinitas orta ex matrimonio consummato, ac nullo postea ob aliquod impedimentum dirimens declarato, censi debeat restricta a Tridentino usque ad secundum gradum, essem in sensu negativo cum Barbosa, hic n. 5, et Wagnerek; quando quidem copula in tali matrimonio habita bona fide dici nequeat formaliter fornicaria, sed materialiter duntaxat: ideoque attendenda est juris communis dispositio ita ut neuter ex contrahentibus inire possit matrimonium cum consanguineis alterutrius respective usque ad quartum gradum inclusive. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 723.)

ADNOTATIO XC.

Lib. III. Decretal. Tit. XV, De frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi, n. 60, pag. 482.

DE IMPOTENTIA CONJUGIBUS SUPERVENIENTE PER MALEFICIUM.

« De inhabilitate ex maleficio proveniente mentio facta fuit ab Alexandro III in decretali Ambianensi episcopo rescripta, ut ex integro ejusdem textu apud Gonzaloz, sed a sancto Raymundo multate relata in cap. 2 *Quod sedem*, hoc tit. Sic enim legitur in laudato integro textu: « Verum licet Ecclesia Romana non consueverit propter naturalem frigiditatem nec propter alia maleficia » (intellige si supervenerint matrimonio jam contracto) legitime conjunctos dividere... »

» Quidquid autem sit de efficacia horum maleficiorum ad causandam impotentiam generandi, illorum reos sequenti hac poena puniendos statuit Gregorius XV, const. *Omnipotentis Dei*, 20 martii 1623, ibi:

« Quapropter ut tam exitiosa scelera a Christi fidelibus arceantur, gravioribus poenis vindicanda duximus. Motu itaque proprio, tenore presentium decernimus, precipimus et mandamus ut, constituto quod aliquis pactum cum diabolo fecerit et, a fide apostatando, maleficiis sive sortilegiis unam seu plures personas ita laeserit ut ex ma-

» leficio seu sortilegio mors secuta sit, etiam primo lapsu, curia seculari tradatur, debitis poenis puniendus. Qui vero, similiter apostatando, pactum cum diabolo, ut praefertur, fecerit, et maleficio seu sortilegium commiserit ex quo, licet mors secuta non sit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, sive animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit, muro claudi, sive perpetuis carceribus in sancto inquisitionis Officio, ubi illud existit, fabricandis mancipari debeat. Qui vero similibus delinquentium notitiam habuerint eos episcopo sive inquisitori denuntiare teneantur. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 725.)

Cf. D. Josephum Bizouard, in curia Divionens advocatum, *Des rapports de l'homme avec le démon, essai historique et philosophique*; Parisiis, apud Gaume et Duprey, 1863 et seqq. 6 vol. in 8; et specimen hujus operis in ephemeride *Revue des scienc. ecclés.*, t. VIII, pag. 86.

ADNOTATIO XCI.

Lib. IV. Decretal. Tit. XV, n. 61; pag. 483.

CONSTITUTIO SIXTI QUINTI CONTRA EUNUCHOS.

Die 29 jun. 1587, Sixtus V per litteras in forma brevis episcopo Novariensi, Apostolicæ Sedis in regnis Hispaniarum legato, sic mandavit: « Cum frequenter in istis regionibus eunuchi quidam et spadones, qui utroque teste carent, et ideo certum et manifestum est eos verum semen emittere non posse, quia impura carnis tentigine atque inmundis complexibus cum mulieribus cum se commiscent, et humorem forsan quemdam similem semini, licet ad generationem et ad matrimonii causam minime aptum, effundunt, matrimonia cum mulieribus praesertim hunc ipsum eorum defectum scientibus contrahere praesumant, idque sibi licere pertinaciter contendunt, et super hoc diversæ lites et controversiæ ad tuum et ecclesiasticum forum deducantur, requisivit a nobis fraternitas tua quid de hujusmodi connubiis sit statuendum. »

» Nos igitur attendentes quod, secundum canonicas sanctiones et naturæ rationem, qui frigida naturæ sunt et impotentes, iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quodque praedicti eunuchi aut spadones, quas tanquam uxores habere non possunt, easdem habere ut sorores volunt; quæ experientia docet tam ipsos, dum se potentes ad coeundum jactant, quam mulieres quæ eis nubunt, non ut caste vivant sed ut carnaliter invicem conjungantur, prava et libidinosa intentione, sub praetextu et in figura matrimonii, turpes hujusmodi commixiones affectare, quæ cum peccati et scandali occasionem præbeant et in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei prorsus exterminandæ.

» Et insuper considerantes quod ex spadonum hujusmodi et eunuchorum conjugii nulla utilitas provenit, sed potius tentationum illecebræ et incentiva libidinis oriuntur, eidem fraternitati tuæ per praesentes committimus et mandamus ut conjugia per dictos et alios quoscumque eunuchos et spadones, utroque teste carentes, cum quibusvis mulieribus defectum praedictum sive ignorantibus sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, et tam locorum ordinariis ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquomodo permittant interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto matrimonium contraxerint, separari cures, et matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita, et invalida esse decernas. Eos etiam qui sic jam contraxerunt, si appareat illos non ut caste simul vivant contraxisse, sed actibus carnalibus operam dare, simul in uno et eodem lecto cum praedictis mulieribus dormire convinctur, omnino similiter separari cures. »

ADNOTATIO XCII.

Lib. IV. Decretal. Tit. XV, n. 65; pag. 483.

DE TACTIBUS INTER CONJUGES IMPOTENTIA PERPETUA SUPERVENIENTE LABORANTES.

« Cum autem ab Ecclesia, in poenam contractæ affinitatis aut cognationis spiritualis, aut a natura propter impotentiam, usus matrimonii prohibetur, certum est 1º oscula, amplexus, cæterasque blanditias et tactus etiam periculosos licere, saltem interdum, et in quantum nutriendo amori inserviunt. Cum enim vinculum conjugale individuaque societas in conjugibus sic impeditis maneat, manet simul amicitia fovendæ obligatio eo strictior quo facilior est infidelitatis aut oblivionis suspicio. »

» Certum videtur ex dictis 2º, etiamsi in illis conjugalis amoris consuetis testimoniis concupiscentiæ motus exsurgant; imo etiamsi, præter intentionem et consensum, semen effundatur, non ideo peccare conjuges, nec ad ea derelinquenda cogendos esse, cum æquam et proportionatam pollutionem materialem negligendi, nempe caritatis et pacis servandæ, causam habeant.

» Certum est adhuc 3º ex dictis quoscumque amplexus et tactus libidinosos, pollutionis proximum periculum inducentes, sub mortali prohibito esse; quia, cum pollutio sit intrinsece mala, mortale sine dubio est eam directe velle et procurare.

» An vero, si absit pollutionis periculum, liceant tactus, aspectus, etc., turpes et libidinosi, non fovendæ amicitia, sed sedandæ et utrumque decipiendæ concupiscentiæ gratia facti? communiter concedunt theologii, inter quos B. Liguorius *De matrimonio*, cap. II, dub. II, n. 933, quia sunt

veri conjuges, et status conjugalis, sicut copulam, ita etiam tactus et delectationem veneream honestat; tandem quia, licet ad copulam utpote impossibilem referri nequeant, ad sedandam concupiscentiam amicitiamque fovendam et augendam inservire possunt.

« Cæterum, ait B. Liguorius loco citato, in praxi impeditus ordinarie debet ab hujusmodi tactibus, praesertim turpibus, ob periculum proximum vel pollutionis, vel petitionis copulæ contra prohibitionem Ecclesiæ. » Unde quidquid sit de theoria, in praxi ab his turpibus voluptatibus, tanquam ab immunditiis lethalibus, impedito tutum est remove, eo magis quo, nedum concupiscentiam mitigent, eam potius accendant. » (Lupellus, *Tractatus de castitate*, Parisiis, apud Lecoffre 1858; tom. I, pag. 337.)

ADNOTATIO XCIII.

Lib. IV. Decretal. Tit. XV, n. 67; pag. 484.

AN ALIQUANDO MULIER TENEATUR INCISIONEM PATI UT VIRO APTETUR?

« I. Si impotentia a mulieris nimia aetudine defluat triplex est sententia.

» Alii quos citat Sanchez, lib. VII, disp. XCIII, p. 31, ad incisionem patiendam eam damnant, dummodo grave non imminet mortis periculum.

» Alii inter quos Pontius, Pontas, Collet, tom. IV, *Tract. de dispens.*, part. I, cap. XIV, p. 693; B. Ligor. lib. VI, tract. VI, *De matrim.*, cap. III, dub. II, n. 1099 qui, licet sequentem communionem et probabiliorum speculative habeat, practice tamen ad istam accedit, censent mulierem ad eam incisionem non teneri 1º quia nullibi hanc incisionem mulieri præcepit Ecclesia; 2º quia mulier ea solum conditione corporis sui potestatem viro tradidisse censenda est ut ille sibi proportionatus esset; 3º quia, ut impedimentum temporale reputetur, non sufficit ut sine vitæ periculo, sed etiam illæsis pudicitia legibus auferri possit; atqui impotentia quæ, non nisi manu chirurgi, illæsis pudoris legibus auferri nequit: quid enim turpius quam ut virgo nuda oculis et manibus chirurgi subjiciatur, incisionemque factam simul et gravem pati cogatur? Certe paucæ sunt sexus personæ quæ hac conditione, si ante matrimonium sibi subeunda proponeretur, contrahere vellent, nisi forte idem sit chirurgus qui conjux. Ita Collet.

» Communior tandem et probabilior opinio, quam propugnant Sanchez, loc. cit. n. 32, Bonacina, *De matrim.* quæst. III, punct. XIII, n. 7; Sporer, *Theolog. sacram.*, part. IV, cap. I, sect. I, n. 128, mulierem ad incisionem, etiam cum gravi molestia et dolore, non vero cum gravi mortis periculo, subeundam teneri docet.

» Et probant primam partem vi contractus et matrimonii natura. Nam non quaecumque corpus,